Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30305
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

147

[Ro]ga nos domine. ne nos deuoret ista belua.
Brendanus uero confortauit illos dicens. Nolite ex
pauescere minime fidei. deus qui uester defen
sor semper est ipse nos liberabit de ore istius
bestie et de ceteris periculis. At uero cum appropin
quasset illis ante cedebant unde mire alti
tudinis usque ad nauim. Tunc fratres magis
ac magis timebant. Venerabilis quoque se
nex manibus extensis in celum dixit. Domine libe
ra seruos tuos sicut liberasti ionam de po
testate ceti magni. His finitis ecce alia ingens
belua ab occidente transibat alteri bestie ob
uiam. statimque irruit bellum contra illam. ita
ut ignem ex ore suo emisisset. At uero senex fratribus
suis ait. Videte magnalia redemptoris
nostri. uidete obedientiam bestiarum creatori
nostro. modo expectate finem rei. nichil enim in
geret nobis pugna hec mali. sed gloriae dei reputa
bitur. His dictis belua que sequebatur famulos
christi interfecta est in tres partes coram illis. et
altera reuersa est post uictoriam unde ibat.
Altera uero die uiderunt insulam procul arbustam
ualde et spaciosam. Appropinquantibus uero illis ad ipsius
litus atque descendentibus de naui uiderunt
posteriorem partem ipsius bestie que interfecta
erat. Tunc brandanus ait. Ecce que nos uo
luit deuorare. ipsam deuorabitis. Vos enim
expectabitis multum tempus in hac insula.
leuate ergo uestram nauiculam altius in terra. et que
rite locum ubi tentorium uestrum poterit stare.
Ipse enim predestinauit locum nobis ad habitan
dum. Cum autem fecissent secundum preceptum uiri dei
ac misisset omnia utensilia in tentorium dixit
ad eos. Accipite dispendia uestra de illa belua
que nobis sufficiant per tres menses. Hac enim
nocte erit illud cadauer a bestiis deuoratum.
Illi ergo usque ad uesperas asportabant carnes.
quantum eis opus erat. secundum preceptum patris.
Cumque hec fecissent. dixerunt abbati. Quomodo
possumus hic uiuere sine aqua. Quibus ipse di
xit. Numquid difficilius est deo aquam dare quam uictum.
Ite ergo contra meridianam plagam insule istius et
inuenietis lucidissimum fontem. et herbas ac
radices. et inde uobis dispendia sumite secundum
mensuram. Et inuenerunt omnia sicut uir
dei predixerat. Mansit ergo ibidem brendanus tres
menses quia erat tempestas in mari et uenti
fortissimi. et inequalitas aeris de pluuia et

grandine. fratres uero ibant uidere quod dixerat uir
dei de illa belua interfecta. et cum uenissent
ad locum ubi cadauer antea erat. nichil inue
nerunt nisi tantum ossa. Reuersi sunt enim confestim
ad uirum dei dicentes. Abba. sicut dixisti ita est.
Quibus ille ait. Scio filioli quod uoluistis probare
si uerum dixi an non. Aliud enim signum dico uobis.
Porcio cuiusdam piscis hac nocte ueniet huc.
et cras reficiemini inde. Sequenti uero die
exierunt fratres ad locum et inuenerunt secundum
uerbum uiri dei. et attulerunt secum quantum
poterant portare ad eum. At ille ait eis. Ista
diligenter obseruate sale condita. inde enim ha
bebitis necessitate. Deus enim dabit uobis tempus
hodie et cras. et post cras tunc cessabit im
petus maris et fluctuum. postea proficiscimini
hinc. Transactis autem predictis diebus precepit
brandanus suis fratribus onerare nauim. et utres
implere. et in alia uascula herbas ac radices ad
suum opus colligere. quia predictus pater postquam
fuit sacerdos nichil gustauit in quo spiritus uite
erat de carne. Oneratis autem omnibus in nauim.
et uelis extensis profecti sunt contra septemtrionalem
plagam. Quadam uero die uiderunt insulam
longe ab illis. dixit autem brandanus. Videtis
illam insulam. Responderunt. videmus. dixit
ille. Tres populi inquit sunt in insula illa. unus puerorum.
alter iuuenum. tercius seniorum. Porro unus ex fratribus
nostris illic peregrinabitur. fratres enim interrogabant
quis nam esset ex eis. Cum autem perseuerassent
in illa sentencia. et ipse uidisset eos tris
tes. ostendit eis fratrem dicens. Hic est ille qui
permansurus erit ibi. Fuit autem predictus
frater unus ex tribus qui subsecuti sunt eum de suo
monasterio. de quibus predixerat antea fratribus.
Appropinquabant enim ad predictam insulam. usque
dum nauis stetit in litore. Erat autem illa in
sula mira planicie. in tantum ut illis uide
retur equalis mari sine arboribus. Valde enim
erat spaciosa. sed tamen cooperta scaltis albis
et purpureis. Ibi quoque uiderunt tres tur
mas. sicut uir dei predixerat. Nam inter turmam
spacium erat quasi iactus lapidis de fun
da. et semper ibant huc atque illuc. et una tur
ma cantabat stando in uno loco dicens. Ibunt
sancti de uirtute in uirtutem. et uidebunt
deum deorum in syon. Dum una turma proficiebat
illum uersiculum. alia turma stabat incipiens